

fructibus fortis. perennis mille thalerorum compararentur libri, quibus Bibliotheca nostra publica quotannis augetur; cui adiunxit aliam sortem bis mille thalerorum, cuius fructus pertineret ad eum, cui Princeps Noster Indulgentissimus singularem obseruandorum astrorum in Obseruatorio Astronomico liberalissimis Electoralibus sumtibus nuper exstructo curam demandaturus esset. Ad stimulandos et subleuandos erectioris ingenii iuuenes constituit sortem perennem 5000 thalerorum, ea lege et conditione, vt ex eius foenore primo quouis anno duo Theologiae Cultores, altero duo Iuris Studiosi stipendia acciperent. Exacto biennio, colligi debent census huius fortis per tres annos, iisque finitis conferri vni Medicinae Studioso, ad peregrinationes scientiae in Anatomia, Chirurgia et praxi clinica perficiendae amplificandaeque causa instituendas. Denique summo studio id egit, vt subinde iuuenes ingenio praestantes, ad eas disciplinas, in quibus ipse totus habitauerat, diligentius excolendas ornandasque inuitarentur, et subsidiis necessariis instruerentur. Quo consilio hoc, de quo saepe diximus, beneficium post exactos illos tres annos destinauit Philosophiae Cultori vni, qui Mathematicis disciplinis prae ceteris operam dedisset, et speciminibus profectuum suorum in Mathesi pura et applicata exhibitis, magnam sui expectationem fecisset. Talis igitur hoc beneficio per tres annos ita iuuari debet, vt, si ex re esse videatur, peregrinationes instituere, et hoc etiam modo cognitionem suam augere possit. Quodsi praeter opinionem inter eos, qui in hac Academia litteris operam dabunt, nemo natus quasi ad studia mathematica repertus fuerit, beneficium hoc ex voluntate Testatoris tribuendum est ad annum vnum duobus Studiosis, quos in Philosophia, historia, antiquitatibus, linguis etc. praestituros esse spes erit.

Sic igitur b. Noster KREGELIUS DE STERNBACH, vt Virum sapientem et probum decet, non tantum largiter, sed sapienter etiam beneficia distribui voluit. Ex Eius voluntate non admittendi sunt ad huius stipendii participationem homines ingenio rudes, ignaui, ad omnia alia magis quam ad studia apti idoneique, vel alias ob causas beneficiis indigni; deligendi sunt potius ab iis Academiae nostrae Doctoribus et Professoribus qui de his rebus iudicare possunt, erectioris ingenii et optimae spei iuuenes, qui non in secundis tertiisque consistant, sed prima consecantur, ac disciplinis aliquando splendorem et ornamen-

ornamen-